



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VIII. De voluntatis, intellectusque mutua connexione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quidquid enim ab ea amatur, vel propter se, vel propter aliud amatur.

22 Quod ad actus imperandi, & similes attinet, Sotus de iust. & iure. quæst. 1. art. 1. Salas, Valentia, Granadus, Medina, & alij docent, eos esse actus intellectus ab apprehensione, iudicio, & discursu distinctos: immerito tamen; quia mox constabit, eos esse actus voluntatis: deinde quia actus illi obiectum, suum cognoscunt: at non iudicando: ergo simpliciter apprehendendo: simplex enim apprehensio nihil aliud est, quam cognitio non iudicatiua. Thomista autem communiter 1. 2. ad quæst. 17. item Vasquez, Fonseca, & alij docent, eos esse actus intellectus iudicatiuos tamen, aut apprehensiuos. Primum, quia imperium intellectus, nimirum *fac hoc*, est loquutio quædam: at loquutio interior ad intellectum attinet. Secundum, quia si promissio, aut oratio esset actus voluntatis, maxime desiderij: at hoc falsum est: multa enim nobis desideramus, quæ tamen non petimus; & multa etiam aliis, quæ tamen non promittimus. Hæc tamen admodum non videntur: siquidem non tam ipsum, *fac hoc*, est loquutio interna, quam eius expressio, & intimatio: lex autem, & imperium ab eius intimatione distinguitur. Deinde obsecratio, siue petitio ex modo tendendi, à simplici desiderio differre potest; promissio vero etiam ex obiecto, nam per desiderium rem ipsam volumus, per promissionem vero obligationem rei tradendam: quocirca valde probabilius est cum P. Suarez 1. de legibus, prædictos actus voluntatis esse, quia cum voluntas sit reliquarum facultatum domina, eius proprium esse debet imperare, ac similiter promittere, & postulare. Adde, quod in omni bene instituta Respublica legis, & imperij vigorem habeat quod Principi placuit, non quod bene nouit, aut intellexit.



TRACTATUS VIII.

De voluntatis, intellectusque mutua connexione.

CAPUT I.

Quanta, qualisque sit connexio voluntatis cum intellectu, ab eoque dependentia?

I  **V**OD attinet ad connexionem voluntatis cum intellectu, statuendum in primis est cum plerisque scholasticis, voluntatem ne de potentia absoluta in obiectum ab intellectu incognitum ferri posse. Primum, quia ut bene arguit P. Vasquez 1. 2. disp. 3. cap. 3. si voluntas posset amare obiectum incognitum, illudve odisse, sequeretur absque ulla cognitione præuia eam exercere posse libertatem, ac proinde etiam peccare: fieri autem nequit, ut aliquis ignorans, & cognitione præuia destitutus peccatum admittat. Rursus ut recte arguit Arriaga disp. 7. de de anima sect. 4. appetitus innatus nequit etiam diuinitus esse nisi ad bonum reipsa, ut omnes in confesso habent, & per se manifestum est: ergo etiam repugnat appetitus elicited esse nisi ad bonum cognitum: sicut enim se habet appetitus physicus, siue innatus ad bonum physicum: ita elicited, siue intentionalis ad bonum cognitum, & intentionale. Oppositam tamen sententiam tuerentur Bonauentura, Gerson, alique Doctores mystici, eamque etiam Paludanus,

& Ferrariensis insinuant. Potissimum eorum fundamentum est, quia amor non includit essentialiter cognitionem, sed eam velut causam directiuam, aut efficientem supponit: cur ergo Deus miraculose hanc dependentiam supplere nequeat, sicut aliarum causarum secundarum absentiam, & influxum supplet? Verum cur id supplementum ab eo præstari nequeat, superius manifestè ostendimus.

2 Secundò statuendum est cum Scoto in 2. dist. 6. quæst. 1. & P. Vasquez, & Hurtado cognitionem mere apprehensiuam mouere posse voluntatem ad actus inefficaces, & hos iudicio præuio non egere: sensio enim esto non iudicet, appetitum tamen materiale mouet: quidni ergo & mera apprehensio voluntatem ad aliquos actus saltem inefficaces. Quæ autem à P. Suarez disp. 23. metaphys. sect. 7. in contrarium adducuntur, facilius cuius solutionem habent. Probabilius etiam est, actus efficaces affectiuè, quales erga Deum habemus, iudicio præuio non egere, solaque apprehensione regulari posse: non enim requiritur æqualitas inter cognitionem spirituales & amorem, cum sæpè magis amemus, quod minus perfecte cognoscimus, & è contrario minus amemus quod magis cognitum, & perspectum nobis est: quid prohibet ergo apprehensionem, siue cognitionem imperfectam, & simplicem diuinæ bonitatis, verbi gratia, ad amorem eius perfectum, & efficacem dirigere posse? Caterum actus efficaces effectiuè iudicio præuio indigos esse ex eo constat, quod nemo absolute intendat efficaciter finem, quem impossibilem videt, & ad cuius assequutionem media sufficientia nulla esse perspicitur: iudicium ergo de possibilitate boni ad absolutam eius, & efficacem intentionem prærequiritur.

3 Terriò statuendum cum P. Vasquez 1. 2. disp. 6. cap. 2. Hurtado, Arriaga, Torrensi, & aliis cognitionem non concurrere efficienter, sed directiuè tantum ad amorem: tum quia, ut existat amor, sufficiens videtur concursus effectiuus voluntatis, & directiuus cognitionis obiectum proponens: concursus igitur effectiuus cognitionis ad amorem tanquam superuacaneus reijci debet: tum quia ignis calorem in se velut adequatam causam efficiens producit: quidni ergo & voluntas in se amorem, qui eius calor, & ardor quidam est: tum etiam quia apprehensio ad iudicium, & præmissa ad conclusionem non nisi directiuè concurrunt, ut patet ex dictis, & citatis supra tract. 4. cap. 8. Oppositam tamen sententiam tuerentur Molina 1. part. quæst. 27. art. 3. disp. 4. & apud eum Caietanus: item Fonseca tom. 3. metaphys. libro 9. cap. 2. quæst. 6. & alij quos refert. Pro qua sic argui potest: Verbum diuinum producit Spiritum sanctum, siue amorem notionalem: ergo Verbum creatum producet etiam amorem creatum: ergo cognitio creata indistincta à Verbo amorem creatum producit, atque adeò eius causa solum directiuam non est. Secundò sic: intellectus non sine concursu efficienti speciei impressæ cognitionem efficit: ergo voluntas non sine concursu efficienti cognitionis amorem efficit. Ad primum respondeo, Verbum diuinum esse personam, ac similiter amorem notionalem; vnā autem personam substantialem alterius productiuam esse; hanc vero rationem locum non habere in rebus creatis, ubi cognitio expressa, siue Verbum non est persona, sed potius personam sufficienter productiuam amoris supponit. Ad secundum respondeo negato antecedenti: eius autem falsitas constabit, cum de speciebus egerimus. Rursus, idcirco species impressa concurrat efficienter ad cognitionem iuxta eius concursus assertores, quia con-

currit loco obiecti; ac proinde cum concursus præstare debet, quem præstaret ipsum obiectum: hoc autem ad cognitionem efficienter concurreret, si eam attingeret, non vero directivè: cum enim obiectum nequeat esse forma intellectus, cum dirigere, & movere incapax est: hæc autem ratio in cognitione respectu amoris neutiquam militat.

CAPUT II.

Quousque intellectus è converso cum voluntate connectatur, ab eaque à posteriori dependeat?

4. **Q**uod spectat ad connexionem intellectus cum voluntate, impossibile esse substantiam intellectivam non volitivam tueri. B. Thomas 1. part. quæst. 19. artic. 1. P. Suarez lib. 3. de attributis positivis cap. 6. Molina 1. part. quæst. 19. artic. 1. conclus. 1. Valentia ibidem part. 1. punct. 1. & apud ipsos alij complures, quibus etiam ipsi libenter subscribimus: quia ea sententia multò consonantior Patribus est, quàm opposita; illamque tradunt Fulgentius ad Monimum de duplici prædestinat. cap. 18. ibi: *Neque enim inesse posset ullatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio*. Athanasius tract. de definitionibus: *Quidquid intelligit, constat, quod etiam voluntate ducatur*. Damascenus 2. de fide, cap. 3. *Omne rationale est potestate liberum: intellectualis igitur natura potestate libera est*. Nemesius lib. de homine cap. 41. *Omnino ergo necesse est, eum in quo sit consultatio, etiam dominum esse actionum: si enim Dominus non est actionum, frustra habet deliberandi vim: quod si ita est, cum ratione libera voluntas existit*. Boëtius 5. de consolator. prola 2. *Nulla fuerit rationalis natura, quin eidem libertas arbitrii: nam quod ratione vi naturaliter potest, id habet iudicium, quo quodque discernat: per se igitur fugienda, optandave dignoscit: quod vero quis optandum iudicat esse, petit; refugit vero quod existimat esse fugiendum: quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi, nolendique libertas*. Porro præter rationem à Nemesio, & aliis Patribus insinuatam, videlicet quod frustra esset virtus cognoscitiva absque potestate volendi, alia etiam ratio in probationem eius sententiæ asserti potest: quoniam repugnat substantia intellectiva, quæ possit ponere præmissas, & nequeat inferre conclusionem; siue quod perinde est, quæ possit iudicare, aliqua esse eadem vni tertio, non tamen ea esse idem inter se. Item repugnat substantia volitiva, quæ possit intendere finem, non tamen eligere media, aut aliquid amare, non tamen eius consequutionem desiderare, aut eius desiderium habere, non tamen de eius consequutione gaudere: pari ergo ratione implicabit, substantia cognoscitiva boni, & eius non volitiva. Antecedens ex ipsis terminis adeò manifestum videtur, ut ulteriori probatione non egeat. Consequentia, ni fallor, est absque vilo discrimine.

Contrariam sententiam tueri non pauci Neoterici, quos sequutus est P. Arriaga disp. 2. de anima sect. 4. Missis autem multis argumentis parvi momenti hunc in modum arguunt: datur aliquis sensus materialis, cui nullus appetitus responderet: sunt namque in nobis quinque sensus externi, non tamen quinque appetitus externi, sed unus duntaxat appetitus internus sensui interno, & communi respondens, atque in cerebro, vel in corde residens: igitur etiam non repugnat intellectus, cui nulla respondeat


voluntas; ac per consequens substantia intellectiva, quæ volitiva non sit. Verum in primis permisso antecedenti potest negari consequentia: sensus enim exterior cum sit idem cum substantia animæ, appetitusque etiam interior cum ea identificetur, sanè sensui externo appetitus interior responderet, idemque principium quod exterius sentit, tamen exterius non apparet; atque in hoc sensu sine vilo appetitu sibi respondente sit, interius tamen appetit. Hinc autem qua probabilitate colligi potest, dari posse facultatem intellectivam, quæ nullo modo volitiva sit, nullosve actus volendi habeat?

5. Rursus antecedens argumenti, tamen communitè admittatur, falsum tamen est: ut enim rectè docent Aureolus in 3. distinct. 15. quæst. unica art. 3. & Hurtad. disp. 17. de anima, sect. 11. nullus est sensus externus, cui suus etiam appetitus exterior non respondeat, ad cuius actus præluceat. Primum huius doctrinæ fundamentum ab experientia, eaque potentissima deducitur: caro enim in quacunque corporis parte læsa dolo, aut molliter delinita oblectatur: at dolere, & delectari sunt actus appetitus: haud aliter, ac gaudere, & tristi voluntatis actus censentur: igitur sicut tactus, sic appetitus ei respondens, per totam corporis carnem, & quamvis eius partem diffunditur; & appetitus hic distinctus erit ab appetitu interno, qui vel in solo cerebro; vel, quod probabilius est, in solo corde sedem habet. Quod si tactus sensuum externorum infimus suum tamen sibi vendicat appetitum, id ipsum profectò dicendum erit de visu, auditu, ac reliquis sensibus. Secundum huius doctrinæ fundamentum est, quia bonum cognitum est obiectum alicuius appetitus sibi proportionati: sed bonum visum, auditum, &c. est bonum cognitum: ergo est bonum alicuius appetitus sibi proportionati: quod si non essent totidem appetitus, quot sunt sensus externi, profectò bonum visum, aut auditum non esset bonum vilius appetitus; non enim externi, qui nullus est; non interni, cum potius obiectum huius appetitus sit bonum prout interius per phantasiam perceptum; huiusque facultatis cognitio eum appetitum moveat.

6. Arguunt secundo: possibile est cognitio aliqua quam nullus sequatur amor: ergo & facultas cognoscitiva, quam nulla sequatur voluntas. Consequentia videtur legitima: quemadmodum enim se habet actus ad actum, ita etiam potentia ad potentiam. Deinde eo ipso, quod possit dari visio sine auditione, poterit etiam dari visus sine auditu: ergo, &c. Adice, quòd possit dari intellectus aliquorum, non omnium cognoscitivus, & consequenter aliquarum tantum cognitionum, quæ nullum excitant amorem: huiusmodi autem intellectus cum voluntate non coharebit. Antecedens probatur: reuelaret Deus alicui nullum amorem creatum existere; quæ enim in hac reuelatione repugnantia est? aut cur non possit Deus reuelare omne, quod contingit dari? potest autem contingere, ut nulla voluntas creata amet: tum sic eiusmodi reuelatio cum cognitio sit à Deo infusa, nullum tamen potest amorem excitare; si quem enim excitaret, falsum ei subesset, cum tamen essentialiter vera sit, sicut Deus reuelans verax est. Huic argumento bifariam respondeo, primo quidem nullam esse possibilem cognitionem, quæ non possit excitare aliquem amorem, atque adeò nullam esse substantiam cognoscitivam, quæ non possit esse volitiva: cum ergo in prædicatis necessariis, & essentialibus perinde sit, posse esse, & absolute esse; nulla consequenter erit substantia cognoscitiva, quæ absolute volitiva non sit. Quod autem

autem opponitur, reuelationem aliquam habere posse pro obiecto, quod nullus existat amor creatus, nullius momenti est: si enim ex terminis ipsis repugnat cognitio boni, nullius amoris elicitiua; tam repugnabit, dari reuelationem aliquam affirmantem nullum amorem creatum existere nullâ factâ exceptione; ac repugnat dari reuelationem, quæ affirmet nullam creaturam existere nullâ factâ exceptione. Quam solum poterit reuelatio aliqua (vt demus veritatem essentialem ei esse) affirmare, nullum amorem creatum dari excepto eo, quem ipsa excitare potest: sicut etiam nonnisi cum simili exceptione reuelari potest, nullam creaturam existere. Hinc autem non efficitur Deum non posse reuelare, quidquid dari contingit: potest enim Deus alia reuelatione comprehendere amorem, quem prior excepit. Porro ex terminis repugnare cognitionem boni, quæ nullum amorem accendere possit, non solum ex nostra sententia de connexionione intellectus, & voluntatis superius probata sequitur, sed etiam iisdem rationibus probatur: implicat enim contradictionem assensus præmissarum vt talium, quem conclusio sequi non possit, aut intentio, quam electio sequi non possit; aut etiam desiderium, cuius extra gaudium occupare nequeat: ergo repugnabit similiter, &c.

7 Respondeo secundò, implicare cognitionem representatiuum boni, eiusque amorem esse impossibilem handquaquam percipientem, quin eiusmodi cognitio amorem circa suum obiectum excitare possit: huius autem oppositum non colligitur ex ea reuelatione, quamuis eam possibilem admittamus, vt pote quæ non cognoscit bonum, sed ab eo præscindit; aut si illud cognoscit, eius tamen amorem esse impossibilem formaliter, aut æquiualeuter, in actu exercito, aut signato percipit. Hinc ergo fit, repugnare etiam substantiam cognoscitiuam boni, & eius amorem esse impossibilem nullatenus attingentem, quæ tamen volitiua non sit. Hoc tamen solum à nobis hætenus intentum est, & nostris argumentis ab auctoritate, & ratione petitis confirmatum est, si rectè expendantur. Quod enim non repugnet substantia quasi speculatiue intelligens, & non boni sibi conuenientis, sed veri duntaxat perceptiua, quin voluntatem vllam habeat, handquaquam nostræ sententiæ, aut nostris etiam probationibus aduersatur: sic enim lux absque calore, & substantia lucida, & non calida possibilis est, esto in mundo hoc sublunari, ac fortassis etiam crelesti quidquid lucet, hoc ipso caleat: sicuti substantia omnis à Deo creata, quæ cognoscit, hoc ipso per amorem ardet.



TRACTATUS IX.

De libertate actuum voluntatis.

CAPVT I.

Relatis aliorum de libertate actuum voluntatis opinionibus verior proponitur.

2 **D**IVISSIONEM libertatis in eam, quæ dicitur in actu primo, & potentia propria est; eamque, quæ dicitur in actu secundo, & operationis propria est: item diuisionem eius in libertatem spontaneam, & libertatem indifferentiam: rursus illius diuisionem

in libertatem contrarietatis, & contradictionis, siue quoad speciem, & exercitium; aliaque similia tot retro locis attingimus, vt sine temporis dispendio iterum operacis impendi non possit. Quod ergo attinet ad libertatem indifferentiam in actu secundo, potissime inter Auctores controuersam; prima opinio est, eam nec actui libero, nec etiam actioni esse denominationem omnino, & adæquatè essentialem, sed potius partim intrinsecam, partim extrinsecam, atque in entitate actionis, & indifferentia potentia formaliter sitam. Ita Durandus in 2. distinctione 38. quæst. 1. Scotus in 2. distinct. 4. quæst. 1. Molina in concordia quæst. 23. art. 4. & disp. 1. memb. 7. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 34. num. 15. & disp. 55. num. 3. Salas tom. 1. in 2. tract. 3. disp. 1. sect. 6. numero 62. Quiedo controuers. 12. de anim. punct. 8. §. 1. Ariaga disp. 8. sect. 4. Eandem sententiam problematice tucur P. Suarez 1. 2. tract. 2. disp. 1. sectione 3. num. 22. circa medium.

2 Secunda opinio est libertatem in actu secundo esse omnino essentialem non solum actioni, sed etiam ipsi actui. Ita Hurtadus disputatione 15. de anima, sectione 6. subsectione 2. vbi pro se refert Conradum, Capreolum, Ferraram, ac B. Thomam. Quibus annumerari etiam potest Richardus in 2. articulo 2. quæstione 1. cum enim hi Doctores doceant, actum voluntatis esse essentialiter bonum, aut malum in genere moris: bonitas autem ac malitia moralis seu meritoria, ac demeritoria libertatem includat, hæc actui essentialiter supponunt. Tertia opinio est, libertatem actioni, non tamen actui esse essentialem. Ita non pauci recentiores, quibus haud dubie fauet P. Suarez tom. 1. de gratia prolegom. 1. cap. 5. n. 20. & 1. 2. tract. 2. disp. 1. citata numero 21. & 22. Quarta sententia quorundam recentiorum Thomistarum est, libertatem (de qua agimus) esse intrinsecam actui libero, non tamen essentialiter: videlicet consistere in quodam modo distincto realiter ab actu, eumque subsequente, & in eo suapte natura recepto. Hæ Auctorum de libertate indifferentiam in actu secundo sententia.

3 Ipse autem in tot sententiarum varietate aliter sentio, reiectisque aut ex toto, aut ex parte aliorum placitis in nouam, singularemque opinionem sine vllò quidem nouitatis, aut singularitatis studio cogor. Quam quinque assertionibus exhibeo: si tamen prius distinguam inter actus liberi, v.g. amoris productionem, eiusque conseruationem. Porro productionem amoris, alteriusve actus appello actionem terminatam ad ipsam amoris entitatem: conseruationem vero, actionem terminatam ad durationem actus, aut ipsius actionis: quamuis his nominibus paulò aliter alibi vsum me fuisse meminerim. Hoc supposito, in primis cenfeo, & assero, actioni productiue amoris liberi libertatem esse omnino essentialem, & intrinsecam, ac nequaquam extrinsecam. Secundo cenfeo, actioni conseruatiue amoris liberi libertatem esse extrinsecam, posse tamen ei in alia rerum serie intrinsecam esse, atque essentialem.

4 Tertio cenfeo, ipsi actui, seu qualitati amoris liberi libertatem non esse essentialem, sed accidentariam, & quodammodo extrinsecam: haud tamen repugnare, vt detur in alio rerum ordine actus amoris essentialiter, & intrinsecè liber, siue indifferens ad vtrumlibet. Quarto cenfeo, libertatem nec in hac rerum serie esse, nec in alia vlla posse esse modum, aut relationem intrinsecam subsequente ad entitatem actus, aut actionis. Quinto denique cenfeo, casu, quo in alio rerum, aut prouidentia ordine libertas foret, actioni conseruatiue essentialis, tum fore;